



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio XXI. De Oratione Christi. In quatuor Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



illi erat subiectus. Tertio, Quia lex vetus erat imperfecta, & ea quae in ipsa praecipuntur erant infirma & egea elementa, iuxta Apostolum ad Galat. 4. v. 9: ergo non decebat auctorem perfectionis illis subijci. Quarto, Quia Lex vetus posita erat propter transgressionem, donec veniret semen cui promissum: id est, Christus: ad Gal. 3. v. 19. Item erat praedagogus noster in Christo, id est, preparans, & adducens nos tamquam pucros ad Christum, ut ibidem dicitur: ergo eius obligatio ad Christum non pertinebat. Denique Lex solum erat umbra futurorum honorum sub Christo, ad Heb. 10. v. 1. definenda & abolenda per Christum: sicut umbra deletur praesente luce. Atqui non decebat ut veritas subieceretur umbræ. Hinc patet contrariam sententiam quam tenuit Ioannes Medina, non esse probabilem.

Medina.

Dices Matth. 5. v. 17. Dominus ait: Non veni solvere legem, sed adimplere. Atqui nemo proprie legem implet nisi qui ea tenetur. Et Confirmatur: ad Gal. 4. v. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Respondeo, Christus implevit legem, sicut donatio implet promissionem, & veritas figuram: non autem, sicut debitor obligationem: ut docet D. Tho. infra q. 47. a. 2. Ad Confirmationem: Est factus sub lege, non quod ipse quidquam legi deberet, qui vnus est legislator &

Quomodo Christus legem impletis.

Iudex, sed ut eos qui sub lege positi erant, de seruili conditione quae sub lege erat, eriperet: ut rectè Anselmus in hunc locum. Itaque non obligatione (hoc enim seruilis est conditionis:) sed voluntariâ obseruatione legi suberat.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sibi ipsi subiectus sit?

Respondetur; Non est sibi subiectus ratione suppositi, quia in Christo non sunt duo supposita, ut volebant Nestoriani: sed ratione naturæ, quatenus vna natura est subiecta alteri.

12

Notandum est; Non esse absolute dicendum, Christum esse sibi ipsi subiectum, sibi ipsi obedientem, seipso maiorem vel minorem; quia significatur distinctio suppositi: quare aliquid addendum, quo determinetur natura, secundum quam, comparatio sit accipienda. Itaque Christus ut homo, est subiectus sibi secundum diuinitatem: & Christus ut Deus, est Deus sui secundum humanitatem; & sic de ceteris. Et Ratio est; Nam ex diuersis naturis cum diuina persona constituantur virtute duæ personæ; & ita secundum diuersas naturas potest habere has comparationes & relationes ad seipsum.

QVÆSTIO XXI.

De Oratione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. III. IV.

Prima Conclusio: Christo, ut homo est, conuenit orare pro nobis. Patet Lucæ 6. v. 12. Exiit in montem orare.

Secunda Conclusio: Christus non orabat per partem sensitivam; desiderium tamen partis sensitivæ oratione expressit: idque ad nostram instructionem & consolationem. Patet cum ait: *Transseat a me Calix iste*, Matth. 26. v. 39.

Tertia Conclusio: Christus orauit tum pro se; ut patet Ioan. 17. tum pro alijs; ut patet ibidem.

Quarta Conclusio: Christi oratio absoluta, semper fuit exaudita; conditionata, minimè.

Circa hos quatuor Articulos: Notandum est, Fide certum esse, Christum in hac vitâ, & pro se, & pro nobis orasse Patrem, atque adeo totam Trinitatem. Patet ex multis Scripturæ locis, Luc. 22. v. 31. *Simon rogavi pro te, ut non desiciat fides tua*, Ioan. 17. *Orabat pro se, pro Discipulis, & pro toto mundo*. Luc. 23. *Pro Crucifixoribus*.

Oravit pro nobis in hac vita.

Dices, Christus ut homo omnia poterat quæ ad finem Incarnationis pertinent: ergo non egebat oratione. Respondeo; Omnia poterat, sed per media à Deo ordinata; inter quæ, vnum erat oratio. Etsi enim diuina virtus ita illi assisteret, ut mox fieret quidquid absolute vellet, tamen diuinitus ordinatum erat, ut non semper vellet quiduis nisi interuentu orationis. Proprie tamen non egebat oratione, ut passim docent Patres: nam & ea quæ pro se petebat, & quæ pro alijs, erant alijs titulis debita.

Constitutum autem diuinitus fuit ut oraret:

Primò, Ut omnibus modis nostram salutem operaretur; nempe merendo, satisfaciendo, & impetrando. Vnde sicut meritum & satisfactio; ita & oratio erat medium ad nostram salutem constitutum.

2  
Varia conuenientia eius orationis.

Secundò, Quia oratio est eximius Religionis actus. Vnde Christus crebro orauit, non solum externâ oratione, sed etiam internâ. Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei*. Item in deserto per quadraginta dies orabat; ut docet Abulensis in cap. 4. Matth. q. 15. Tertio, Propter exemplum, ut docet D. Ambrosius in c. 6. Lucæ. §. de oratione IESU in monte: ubi etiam fuse ostendit Christum non eguisse oratione, eò quod omnia posset tamquam Iudex, sed exempli causa orasse. Quarto, Ut ostenderet se esse missum à Patre cælesti, & ab ipso omnia habere. Ioan. 11. v. 42. *Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*. Vide Iustinum Martyrem q. 105. ad Orthodoxos.

D V B I V M.

Vtrum Christus etiam nunc in celo proprie pro nobis oret?

Respondetur & Dico Primò; Certum est Christum in celo interpellare pro nobis. Ad Rom. 8. v. 34. *IESVS Christus qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Ad Heb. 7. v. 25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. 1. Ioan. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum, &c.*

3  
Interpellat pro nobis in celo.

M m Dices;



Dices; Vt Christus dicatur pro nobis interpellare, & esse noster Aduocatus apud Patrē, non est necesse vt actu elicto aliquid petat, vel offerat Patri pro nobis; sed satis est vt Sanguis ipsius pro nobis effusus, semper Patri sit præsens, qui est veluti clamor quidam, non vindictam, sed veniam & vitam postulans; vt ait Greg. lib. 13. moralium c. 12. quo modo Gen. 4. Sanguis Abel dicitur clamare de terra. Vnde ad Heb. 12. v. 24. *Accessistis ad sanguinis asperionem melius loquentem quam Abel.* Et cap. 9. v. 24. *Ascendit, inquit, vt appareat vultui Dei pro nobis.* Et sic videntur hanc interpellationem exponere Chrysof. hom. 15. in epist. ad Rom. & hom. 13. in epist. ad Hebr. & Theophylactus in cap. 8. ad Rom. & Nazianz. oratione 2. de Filio ad nonam obiectionem Eunomij. Et D. Thomas infra qu. 57. art. 6.

Quomodo clamat eius sanguis.

4 Orat pro prior actu orationis.

Iustinus.

Gregor.

August.

Alij.

Probatur quinque Rationibus. Prima Ratio.

Secunda Ratio.

Tertia Ratio.

Respondeo & Dico Secundò: Non solum hoc modo interpellat Christus pro nobis apud Patrē, quòd sanguis & meritum ipsius semper sint Patri obiectiuè præsentia, eumque sic ad misericordiam fleant: sed etiam per proprium actum desiderando & petendo à Patre ipsaque diuinitate, sua merita nobis applicari. Ita expressè Patres: Iustinus q. 105. ad Orthodoxos; vbi probat oportuisse vt Christus in vitâ mortali pro nobis oraret, cum etiam nunc post resurrectionem in cælo, vt Pontifex confessionis nostræ, interpellat pro nobis, quæ ratio nulla esset, nisi propriè interpellaret. Idem docet Greg. hom. 7. in Leuitic. vbi tamen addit quædam falsa; vt Christus adhuc de flere peccata nostra. D. Aug. lib. 1. de Trin. c. 10. aliquoties repetit, quòd Christus nunc vt Sacerdos, & vt mediator interpellat pro nobis, *Quæ interpellatio, inquit, cessabit, quando tradiderit regnum Deo & Patri.* At illa prior interpellatio per solam præsentiam obiectiuam meritorum ipsius, est æterna. Idem docet præfatione in Psal. 85. & in præfat. expositionis secundæ in Psalm. 29. Ambrosius & Theodoretus in c. 8. ad Rom. Abulensis in c. 14. Matth. q. 142. & D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiunc. 2.

Probatur Ratione. Primò, Ioan. 14. v. 16. Christus ait: *Ego rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis.* Videtur autem loqui de tempore post ascensionem, non autē de tempore mortis; vt vult Rupertus. Quasi dicat: Nolite turbari meo discessu, sed seruate mea madata, & ego, vbi discessero, & venero ad Patrem; *Rogabo Patrem &c.* Secundò, Quia quòd Christus modo sit noster Aduocatus & pro nobis interpellat, Scriptura hoc adducit tamquã distinctũ beneficium à passione & morte: quod peculiari modo spem nostrã debeat erigere & nos solari; vt patet ex tribus locis allatis. At iuxta alteram sententiam, nõ esset nouum beneficium: nam solum significaretur Christi beneficiũ semper esse præsens diuinæ memoriæ; quod est quiddam necessariò consequens ex ipso merito, ac proinde nõ est quid distinctum. Confirmatur; Quia illud est valdè improprie & metaphoricè esse Aduocatum & interpellatorẽ: ergo cum nihil cogat, verba proprie accipienda sunt. Tertiò, Quia oratio nec dedecet Christum ob dignitatẽ Personæ, cum in hac vita orauerit: nec ob perfectionẽ glorię, quia alij Beati orant pro nobis. Confirmatur; Quia Christus vbique facit ad hominum salutem, quod conuenit fieri iuxta statum in quo est. Sed orare & impetrare pro viatoribus, actus sunt qui

habent locum in statu patriæ, in quo differunt à merito & satisfactione: ergo quãuis non amplius mereatur aut satisfaciatur, orat tamẽ. Quartò, Quia Christus vt homo, in cælo colit Deũ actibus religionis, adoratione, & gratiarum actione pro beneficijs, tum in sua humanitate, tum in alijs hominibus acceptis. Ergo etiam postulat ea quę ad nostram salutem superflunt, scil. suorum meritõrum realem applicationem; nam hæc oratio etiam est actus religionis. Quintò, Quia nos per Christum oramus, & accessum habemus ad Deũ, non solum quia per eius merita cupimus exaudiri; sed etiam quia per ipsum offerimus orationes nostras: nam ab ipso merita nostra & satisfactiones offeruntur Patri, vt docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 8; ergo etiam orationes. Quare Christus rectè dicitur *Os nostrum & Vex nostra* per quam Patri loquimur; vt rectè dixit D. Ambrosius Tract. de Isaac cap. 8.

Quarta Ratio.

Quinta Ratio.

Os nostrum & Vex nostra.

Dices Primò; D. Chrysof. hom. 15. ad Rom. & Rupertus lib. 9. De officijs c. 3. videntur omnino negare Christum pro nobis orare. Nam Chrysof. stomus vult etiam Patrem & Spiritum sanctũ eo modo obsecrare. Rupertus autem solum priore modo, scilicet per præsentiam meritorum. Respondeo; Chrysof. stomus non negat Christum interpellare pro nobis, imò id apertè docet; sed ait, illum non opus habere interpellatione, cum omnia possit: interpellare autem, vt magnitudinem suæ dilectionis ostendat. Quam ob causam etiam Patri tribui obsecrationem 2. ad Cor. 5. v. 20. *Pro Christo, inquit Apostolus, Legatione fungimur, tamquam Deo obsecrante per nos.* Rupertus autem videtur esse in illa sententia; ait enim: *Ille interpellatio, Doctorum omnium verã assertionem, non submissa est postulationi; sed eius passionis, quæ semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu S. Trinitatis admissa &c.* Quamquam fortassis Rupertus non velit absolūtè negare Christũ pro nobis orare, sed non orare eo modo quo in hac vita, scilicet cum magna submissione externa: idque vt ius gratiæ & gloriæ nobis compararet. Sic enim reuerã non orat, sed quasi debitũ postulans, idque modo illi statui conuenienti. Simili modo intelligendum Nazianzenus; solum enim negat precationem seruilem, & indecoram illi statui.

Solutio Obiectio- nes de Rationibus.

Chrysof.

Rupertus.

Nazianz.

Dices Secundò, Ioan. 16. v. 26. Christus ait: *In illo die in nomine meo petetis; & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos.* Respondeo cum Cyrillo li. 11. in Ioan. c. 9. Solum velle dicere, non esse necesse, vt ipsis commendet suum officium precandi Patrē pro illis, quasi Pater sit tam durus, vt opus sit precatione: Patrem enim sponte esse paratissimum. Hinc tamen non sequitur Christum non oraturum: alioqui nec Apostoli pro se debuissent orare; quia amabantur à Patre.

E. Scrip. Ioan. 16. v. 26.

Dices Tertiò, Ioan. 14. v. 14. *Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam, non dicit, petã vt fiat; sed faciam.* Confirmatur; Quia ratio exempli cessat. Respondeo; Christus vtrumque potest, & facere & petere: non enim petit, quòd indigeat; sed vt Patrem simul honoret & colat. Exemplum autem non est primaria ratio orandi.

Ioan. 14. v. 14.

Dices Quartò: Ergo possumus à Christo petere vt oret pro nobis; quod Rupertus detestatur. Respondet D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiun. 2. *Et si Christus oret pro nobis, nos tamen non*

6 An liceat dicere, Christum ora pro nobis.



men non debere ita rogare: *Christe ora pro nobis*, sed, *miserere, exaudi* &c. partim propter periculum Arii & Nestorij: partim quia oratio dirigitur ad personam; Christi autem persona est Verbum diuinum, cuius non est orare, sed misereri, adiuuare.

His adde; Sicut Principes compellamus titulo honorificentiore; ita id quod perfectius est, Christo tribuendum est. Qui tamen nouit Christum

apprehendere vt hominem, & vt Deum, recte potest ab eo petere vt orationes ipsius Patri offerat, easque cum suis coniungat: vt aperte colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8: imò rogare vt nobis meritorum suorum efficacem applicationem impetret: vt colligitur ex supra dictis.

Q V Æ S T I O X X I I.

De Sacerdotio Christi.

In Sex Articulis diuisa.

ARTICVVS I.

Vtrum Christus sit Sacerdos?

**R**espondetur; Christus verè & propriè est Sacerdos. Est fidei. Et probat hoc Apostolus totâ penè epistolâ ad Hebræos, potissimum cap. 5. 8. 9. 10.

Pro quo Notandum; Sacerdotè constitui mediatorum inter Deum & homines; vt colligitur ex Apostolo ad Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs que sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Nam populus per illum colit Deum; & Deus vicissim per illum sanctificat & docet populum.

Vnde Sacerdotis est duplex munus, scilicet ad Deum, & ad Populum. Ad Deum munus eius est, orare pro populo, populique vota representare, & sacrificiū pro populo offerre. Idque triplici fine: vel ad peccatorum expiationem; vel ad beneficiorum impetrationem; vel ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Cultus autem Dei, est intrinsecus & immediatus finis omnis sacrificij. Ad populum autem munus eius est: Primò, Populum instruere in rebus ad cultum diuinum & salutem pertinentibus. Secundò, Eundem legibus gubernare, & dirigere ad finem spirituale; id est, vt Deo sit acceptus, cœloque idoneus. Tertio, Eundem sanctificare, iuxta facultatem & modum Sacerdotij. Quarto, Iudicare de controuersijs ad religionem & cultum pertinentibus.

Sed quamuis hæc omnia ad munus Sacerdotis, eius scilicet in quo totius Sacerdotij est potestas, pertineant; tamen specialiter sacrificium est ipsi proprium, tamquam primarius & specialis actus, nulli alij cōueniens. Accipitur autem nomen Sacrificij dupliciter. Primò, Generatim & improprie; vt sacrificium dicatur omne id, quod ad honorè Dei refertur, siue sit actus virtutis internus, sicut contritio, humilitas; Psal. 50. v. 19. *Sacrificiū Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatū.* Siue externus, vt mors Martyrum, Sap. 3. Laudes diuine, Ad Heb. 13. Quo modo definitur ab Augustino lib. 10. de Ciuit. c. 6. *Sacrificiū est omne opus bonum, quod fit, vt sanctâ societate Deo inhaereamus.* Huic Sacrificio generali, respondet etiâ Sacerdotium generale commune omnibus Christianis. Apoc. 1. v. 6. *Facit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.* 1. Petri 2. v. 5. omnes fideles vocantur *Sacerdotium sanctum*, qui offerant hostias spirituales

Deo. Item *Sacerdotium regale.* v. 9. Secundò, Accipitur Sacrificiū speciatim & proprie pro externa oblatione Deo facta per mysticam transmutationem, in protestatione summi dominij, à quo omne bonum nostrum pendeat: & distinguitur à simplici oblatione: sicut dictum est lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 38. dub. 2.

Est autem hoc Sacrificiū, vel Priuatū; quod aliquis sua voluntate offert Deo pro se; quale forte Agnus Paschalis. Vel Publicū; quod ex diuina ordinatione mediata (per lumē rationis naturalis) vel immediatâ offertur nomine totius populi: & hoc propriissimè dicitur sacrificiū, cui respondet propriissimè dictum Sacerdotium; vt patet ad Heb. 5.

Hoc Sacrificiū propriissimè continet Christus, idque intendit D. Thomas hoc Articulo. Probatur Primò, *Quia Christus constitutus est à Deo, vt ipsum offerret Deo oblationem & hostiam in odorem suauitatis,* ad Ephes. 5. v. 2. Secundò, Quia in vltima Cœnâ obtulit verum & proprie dictū sacrificiū; quod etiam Ecclesiæ suæ faciendum tradidit, vt eruditè Concilium Tridentinū sess. 22. cap. 1. Et docet communis Patrum consensus. Tertio, Quia in ara Crucis verum ac proprium sacrificium obtulit. Patet ex Apostolo c. 9. & 10. ad Hebræos. Et docet D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 6. & 20. & lib. 4. de Trinit. cap. 14. vbi inter cetera ait, *Eum qui offert, quod offertur, & pro quibus offertur; esse vnum.* Idem docet D. Thomas infra q. 48. a. 3. Quarto, Quia quotidie offert verum Sacrificiū per manus ministrorum suorum: vt docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. nam ipse est primarius offerens in omni legis nouæ Sacrificio.

Dices; Christus non interfecit seipsum, nec aliquo modo mysticè immutauit in Passione: ergo nec sacrificauit proprie.

Respondeo; Non requiritur vt occisio hostiæ fiat ab ipso Sacerdote physicè & posituè: sed satis est vt moraliter; nempe imperio, vel liberâ permissione. Et ita Christus seipsum sacrificauit. Primò, Quia cum haberet vitam in sua potestate, eâ tormentis mortiferis exposuit. Secundò, Quia suos interfectores, cum facillimè posset, non impediuit, sed permisit eorum malitiâ vsus est. Tertio, Quia cum post omnia tormenta haberet in potestate vitam suam, permisit eam tormentis vinci & interimi, eam mente Patri offerens in cultum, & satisfactione peccatorum. Vnde Ioan. 10.

M m ij v. 17.

Munus Sacerdotis.

Ad Deum.

Ad Populum.

Sacrificium est illi proprium.

Nomen sacrificij accipitur laud.

Sacrific.

Sacrificium publicum propriè Christo conuenit.

4

Qualis occisio hostiæ fieri debeat per sacerdotem.